

Q. D. B. V.

AMORIS CAUSAS

*Verè*

MELLEAS

Dilectissimo suo

**DNO. M. JOHANNI**  
**JOACHIMO MÖLLERO,**  
 apud Crosnenses ArchiDiac. fidelissimo,

*Cum*

inter melleos Nuptiarum applausus

d. 13. Maji St. Vet. M DC XC.

sibi junxisset

*VIRGINEM MORIBUS AC VIRTUTIBUS*

prorsus melleam,

**CATHARINAM,**  
**DN. TOBIÆ JOSEPHI, P. M.**

ArchiDiaconi quondam apud Züllichienfes

vigilantissimi

**FILIAM,***Libens memorq; perpendit:*

Ac

quod facere maluisset praesens

*Scripto tamen & Voto testatur absens***CHRISTIANUS WEISE, Gymn. Zitt. Rect.**

CROSNAE, Prelo MICHAELIS Schwarz.



**A**Mo Te, MÖLLERE dilectissime,  
Sed ea consentiat, quæ nunc amandi legem scribit.  
Ideo enim Te amabit magis,  
Ac Te amatore gaudebit magis,  
Si amore dignum plures Te judicent.

*Amavi fidem, sedulitatem, pietatem*

Cum in ædibus meis manum mihi commodares & animum.

*Amavi Constantiam, promptitudinem, proficiendi voluntatem,*

Cum factus Lipsiensis, non tamen desineres esse meus.

*Amo nunc eruditionem, virtutem, devotionem.*

Cum in Ecclesia CHRISTI laborandum est.

Quin & amo Te, quod amare vel discis,

Vel amare Te posse probas.

Nunc intelliges, CHRISTI præco,

Cur Christus dici voluerit *humani generis sponsus.*

Nunc è piis & ardentibus animi desideriis cognosces,

Quanto majora sint SALVATORIS desideria

*Cum suis amoribus desponderi vellet redemptos.*

Ast AMOREM MEUM qui possides,

GRATULATIONES quoque MEAS habiturus es in potestate.

Amor enim non est *utilis.*

Qui fructum amandi vel mercedem quærat;

Sed *honestus*, qui tamen sibi satisfactum putat,

Ubi felicitatis fructum ipse reportat AMATUS.

Sic etiam *philosophari* libet,

Cum de amore loquor ad *Theologum*:

Sic *distinctionibus* ludere juvat,

Cum tua nunc instat *conjunctio.*

Præfero statuendi & loquendi *simplicitatem*;

Ne *qualiscunque* fucus amorem reddat dubium.

Sit igitur *nuptialis letitia symbolum*:

AMO TE.

Sit *futura spei symbolum.*

Faciat DEUS, UT AMARI QVEAS IMPOSTERUM.

Cæterum

Cæterum ubi pergit calamus,  
 Oculis obversatur Optimi BALBINI memoria:  
 Is Pragæ jam defunctus, quanto me coluerit amore,  
 Tu non solum *legere*, sed & *videre* potuisti.  
 Conveneras ipsum, *literarum mearum fide securus*:  
 Agnoveras *in omni benignitate promptissimum*.  
 Interim quantum Ei placuisses *eleganti modestiâ*,  
 Scire me volebat *è suis literis*:  
 MÖLLERUS, inquit, *quem exhibuisti, non Möllerus est,*  
*Sed MELLERUS.*  
 Sic invertere libebat nomen,  
 Ut ostenderet *melleam* fuisse Tuam *consuetudinem*.  
 Agnoscebam *gratiosos VIRI lepores*,  
 Qui *mel* spirabant, quoties vel *lingua* movebatur vel *calamus*.  
 At mihi commodo futuram *hanc allusionem*,  
 Præcoci voto, *sed tacitus*, gaudebam.  
 Nunc repeto, quod *tantus* judicavit *Amicus*,  
 Habeant CROSNENSES, Habeant AMICI, Habeat SPONSA,  
 Non MÖLLERUM, sed MELLERUM.  
 MEL colligant, qui *loquentem, absolventem, consolantem* audiunt,  
 Ac in Te *fellis* habeant *remedium*:  
 MELLEIS *consiliis, auxiliis, beneficiis* fruantur AMICI,  
 Ne quid *amaritudinis* intercedat:  
 MEL ipsum, *sed sine apibus*, degustet SPONSA,  
 Ne qua *Conjugii* terreat *acerbitas*.  
 MEL Tuum sit CHRISTUS,  
 Qui resurgens, in Apostolorum cætu, *mel comedere*  
 dignatus est.  
 MEL Tuum sint SACRI LABORES,  
 Qui *Verbum* tractant *omni quidem Melle dulcius*.  
 MEL Tuum sint IPSE MUNERIS MOLESTIÆ:  
 Quibus *velut desertis* maxima semper *Mellis* affluit *copia*.  
 MEL Tibi *purissimum* sit SPONSA,  
 Quamdiu vocabitur CATHARINA,  
 Quamdiu vocabitur MÖLLERIA,  
 Vel *ex Etymologia Balbini*, MELLERIA.  
 Vides autem cur Te non amare non possim,  
 MELLIS OMEN HABES.

Sed

Sed ut hoc in rebus Tuis omen perennet,  
*Tua faciunt preces, Tua pietas, Tuorum vota,*  
 Forſan & MEA, Præceptoris olim, *apprecatio.*  
 Forſitan haud pœnituit cognoviſſe WEISIUM.  
 Me certè non pœnituit benefeciſſe MELLERO.  
 Sane pudet *præter literas* exhiberi nihil poſſe;  
 Sed *in literis DEO probatis* theſaurus eſt.  
 Hunc theſaurum *ut obſerves,*  
 Ut aliorum munificentia tandem *effodi videas,* precor.  
 Sit JOSEPHA, quod in Ægypto JOSEPHUS.  
 Hic PATER vocabatur PATRIÆ,  
 Illa MATER audiat FAMILIÆ.  
 Nec *Mater* tantum ſit *cura*  
 Quæ ſatisfaciat *prandio;*  
 Sed *Mater* etiam ſit *natura*  
 Quæ ſatisfaciat *thalamo.*  
 Si DEus ex me vivere voluerit WEISIUM,  
 Forſan huic placebit Amicus MELLERUS.  
 Proveniant Tui ſimiles virtute, ſtudio, ſolertiâ:  
 Sic *Melleam* ipſi habebunt *fortunam,*  
*Melleos* aliquando laudabunt *amores.*  
 Plura ſcripturum non animus avocat, *ſed laborum moles.*  
 Suis enim penſis quælibet diſcernitur dies.  
 Sed in ipſo tamen tædiorum *felle,*  
*Mellis* inſtar eſt *amicorum recordatio,*  
 præſertim quos vocare licet MELLEROS.  
 Maçte igitur hoc nomine  
 Nec unquam ad me ſcribe, *nifi ſcribas mellea;*  
 Nec à me literas expecta, niſi memineris ſcribi  
 ad MELLERUM.  
 Vale cum TUA, quam *videre,* quam *complecti,*  
 Quid diſſimulem? quam *amare* cuperet MEA.  
 Utinam utrinq; habeamus MELLERAM,  
 Quæ ſalvere MELLERAM jubeat. Vale.

